

DIVINVM AC IMMOBILE

# S. PETRI

APOSTOLORVM PRINCIPIS,

Circà omnium sub cælo Fidelium ad Romanam ejus Cathedram

## APPELLATIONES

Adversùm profanas hodie vocum novitates

## ASSERTUM PRIVILEGIUM,

PER

FR. CHRISTIANUM LUPUM, Ipremsen,

In Alma Lovaniensi Universitate Sacræ Theologiæ Doctorem, ac  
Professorem Primarium & Regium, Eremitarum S. AUGUSTINI  
nuper Priorem Provinciale.



MOGUNTIAE,

Typis LUDOVICI BOVRGEAT 1681.



*De Anno MDCCLXXXI in Collegio  
Ludovici Frequent Episcopi Aquilonensis*

*Moguntia*

*Aquilonensis*

Sanctus Gelasius Pontifex Epist. 4.

**N**obis opponunt Canones, dum nesciunt quid loquantur: Contra quos hoc ipso venire se produnt, quod Primæ Sedi, sana rectaq; suadenti, parere fugiunt. Ipsi sunt Canones, qui Appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri. Ab ipsa verò nusquam prorsus appellari debere sanxerunt. Ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeari iudicium, nec de eius unquam præceperunt iudicio iudicari. Sententiamq; illius constituerunt non oportere dissolvi, cuius potiùs Decreta sequenda mandârunt.

DIVINUM AC IMMOBILE  
APOSTOLICÆ SEDIS

Quoad Romanas Appellationes Privilegium,

ADSSERTUM AC DEMONSTRATUM

*Adversus quosdam nostrorum*

TEMPORUM NOVATORES.



Ost laudatas suas parabolas Sapiens Ecclesiastes adjunxit: *His amplius, fili mi, ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis: Frequensque meditatio, carnis afflictio est.* Alii legunt: *Fili mi cave ne multos libros conscribas. Non est finis.* Quem textum olim Origeni, plurimorum librorum scriptori, quidam objecerunt. Hinc se in Philocalia purgaturus demonstrat omnes veritatis adsertores libros non esse nisi unicum, & solum

Cap. 12.

errorem dividi in plures, atque concludit: "Quare si hæc fidem facere apud vos possunt, quid sit unus liber, & quid multi, nunc magis sum sollicitus, non quidem propter multitudinem Scriptorum, sed propter vim intellectuum, nè forsan eò prolabar ut Mandatum transiliam, si quid præter veritatem tamquam veritatem exponam, vel in uno meorum Commentariorum. Tum enim fuero Scriptor multorum librorum. Et cum nunc specie ac prætextu cognitionis aliarum opinionum Asectæ in Sanctam Christi Ecclesiam insurgant, & multorum librorum compositionem divulgent, quibus Evangelicarum & Apostolicarum constitutionum expositionem pollicentur, si jam sileamus, nec illis salutaria & vera documenta opponamus, avidas & jejunas animas cibi inopia expugnabunt, ad veritas, & omninò impuras, atque abominandas sceleratas festinantes. Quare necessè mihi videtur esse, eum, qui sine fraude ac prævaricatione potest se pro Ecclesiastico sermone Oratorum interponere, & confutare eos, qui falsam sibi cognitionem assumunt, stare adversum hæretica commenta, & excellentiam Evangelici præconii illis opponere, in quo est plenissima consensus communis doctrinæ: Veteris cum novo Testamento". Hinc omnia utri-

Cap. 5.

31. 43

A

usque